

Nihil enim aliud hic sunt intelligibiles beati, quam ideae. Rhea autem nihil aliud quam materia, quam et primam vocat, et potentia suscipere generationem, sed apertius in his:⁹

5 *Tu eris pater et matris splendida forma,
Et filiorum tenellus flos, in formis forma existens
Et anima et spiritus et harmonia et numerus.*

10 Forma enim ideam hic significat, sicut et Plato et Aristoteles quoque infinites eam εἶδος, *formam* appellaverunt, ex quo Orphei loco et harmonia et numerus Pythagoreorum forte fluxerunt.

15 Sed ideas Orpheus ab Aegyptiis est mutuatus. Est enim in Mercurii Poemandro ita scriptum:¹⁰ *Vidisti in mente archetypam formam pro principem principii interminati.* Sed fuerat idem dogma Assyriorum seu Chaldaeorum. Sic enim Psellus in eorum brevi ecthesi:¹¹ *Ideas quidem putant nunc quidem patris conceptiones, nunc vero universales rationes animasticas et naturales, quas quidem mens tribuit animae, anima vero naturae.*

20 Est etiam in λογίοις, proloquiis Chaldaeorum, quae Proclus Commentator in Parmenide affert:¹² *Post patris conceptiones animae ego habito.* Hae autem patris conceptiones eadem sunt cum iis, quas modo Psellus exposuerat. Sed nominatim in his:¹³ *Mens*

⁹ Τύνη δ' ἔσσι πατήρ, καὶ μητέρος ἀγλαὸν εἶδος// καὶ τεκέων τέρεν ἄνθος, ἐν εἶδεσιν εἶδος ὑπάρχων// καὶ ψυχὴ καὶ πνεῦμα καὶ ἀρμονίη καὶ ἀριθμὸς. [PORPH. De philosoph. ex orac. 146.21 – 147.2]

¹⁰ εἶδες ἐν τῷ νῶ τὸ ἀρχέτυπον εἶδος, τὸ προάρχον [προάρχου] τῆς ἀρχῆς τῆς ἀπεράντου. [CORP. HERM. Poemandr. I, 8.2 – 3]

¹¹ ιδέας δὲ νομίζουσι νῦν μὲν τὰς τοῦ πατρὸς ἐννοίας, νῦν δὲ τοὺς καθόλου λόγους, {νοητοὺς} <τοὺς> ψυχικοὺς καὶ φυσικοὺς [corr. ex φησικούς], οὓς δίδωσι μὲν ὁ νοῦς τῇ ψυχῇ, ἡ δὲ ψυχὴ τῇ φύσει. [PSELL. Opuscula psycholog. theolog. daemonolog. 152.16 – 18]

¹² μετὰ δὴ πατρικὰς διανοίας, Ψυχὴ ἐγὼ ναίω [νέω]. [PROCL. in Prm. 925.16 – 17]

¹³ Νοῦς πατρικὸς ἐρρόιζησε νοήσας ἀκμάδι βουλή παμμόρφους ιδέας· πηγῆς δὲ μιᾶς ἀποπτᾶσαι ἐξέθορον. [PROCL. in Prm. 800.20 – 22]